

regebatur: "Posse sacerdotes iter arripientes ab Ordinariis locorum, unde naves solvunt, approbari ita ut, itinere perdurante, fidelium secum navigantium confessiones valide ac licite excipere valeant, usquedum perveniant ad locum ubi alius Superior ecclesiasticus jurisdictione polens constitutus sit. Cavendum ab ipsis Ordinariis, ne ejusmodi facultatem tribuant sacerdotibus qui idonei non fuerint recogniti ad tramites Conc. Trid. Sess. 23. de ref. c. 15. „ (Coll. P. F. n. 933) Sed ad tollendas difficultates nuper 4 Apr. 1900 Sa Inquisitio sequens decretum edidit: "Sacerdotes quoscumque transmarinum iter arripientes, dummodo a proprio Ordinario confessiones excipiendi facultatem habeant, posse in navi, toto itinere durante, fidelium secum navigantium confessiones excipere, quamvis forte inter ipsum iter transeundum, vel etiam aliquamdiu consistendum sit diversis in locis diversorum Ordinariorum jurisdictioni subjectis. „ Unde haec determinantur:

1º Jam non requiritur jurisdictionis data ab Ordinariis locorum unde naves solvunt, quod exigebatur decreto S. Inq. 17 Mart. 1869; nec ullam specialem conferri ab ullo Ordinario approbationem necessarium est ut quis navigantes absolvere queat. Sufficit ut sit approbatus in dioecesi sua.

2º Nullum discriminem statuendum est inter sacerdotes qui navem concendent in portu e quo primum solvit, et eos qui iisdem postea in aliquo portu intermedio accedunt, dummodo et isti sint approbati ab Ordinario suo proprio.

3º Utriusque speciei sacerdotes absolvere possunt omnes qui in navi versantur, sive eam modo stabili incolunt, ut nautae, sive tantum iter quoddam instituunt. Nec refert utrum cum sacerdotibus ipsis an, in decursu itineris, ante vel post illos, navim concenderint. Ratio est, hos omnes recte designari nomine *fidelium secum navigantium*. Non possunt autem absolvere eos in litore si in terram descenditur, quo in casu exigitur approbatio Ordinarii loci in quo tunc existunt.

4º Perdurat sacerdotum jurisdictionis ab ingressu navis usquedum ad ultimum itineris terminum perventum sit: nam toto illo tempore *iter perdurat*. Immo idem dicendum videtur, si navis vix ad litus appulsa sine mora statim redire incipiat, nec sacerdos in terram exierit. Non videtur cessare jurisdictionis confessarii, sive iisdem sive aliis sunt socii itineris, nisi quando jam non est approbatus ab Ordinario proprio suo. Inde si sacerdos qui ad terminum itineris pervenit, vix navi egressus, statim, v. g. ob valetudinem adversam, in regionem suam redit, videtur non mutasse Ordinarium et posse absolvere, nulla nova approbatione petita.

5º Quum decretum hoc novum sit conditum ad facilius obtinendas facultates absolvendi navigantes, opinamur decretum 17 Mart. 1869 abrogari in quantum exigebat approbationem Ordinariorum portuum unde solvebatur, non vero in quantum ii Ordinarii possunt eam concedere sacerdotibus qui ipsis subjecti non sunt.

III. Capellani militum eos ubique absolvere possunt, quando jurisdictionem a R. P. accipiunt: nam talis facultas iis conferri tunc solet. Ubi vero tantum ab episcopo approbati sunt, nequeunt eosdem absolvere donec in praesidiis versantur extra dioecesim approbantur: nam tunc subsunt generali regulae a Trid. positae. At si milites in castris et itinere versantur, eos capellani ubique absolvere possunt: id enim fert universalis consuetudo, necessitate ipsa exigente. (Craisson. Man. Jur. Can. n. 1544 seqq.)

§ 6. DE JURISDICTIONE REGULARIUM.

Punctum I. De absolutione extraneorum.

334. I. Regulares a R. P. jurisdictionem accipiunt ad audiendas saecularium confessiones. Hanc nempe singulis communicant paelati, eo ipso quod eos episcopis praesentant approbando. Ita tenet longe communior sententia Canonistarum, innixa multis documentis Pontificiis.

Assertum patet praesertim e jurisdictione quam Regulares non tantum vi consuetudinis, sed vi privilegiorum suorum jam antiquitus obtinebant in poenitentes ex alia dioecesi advenientes. (n. 328, VII) Ideo, ut testatur Fagnanus (in c. *Omnis utrusque sexus*, n. 79): "S. C. C. declaravit Regulares intra dioecesim episcopi approbantis posse etiam absolvere poenitentem alterius dioecesis, cum habeant jurisdictionem a Papa ex Clement. *Dudum*, de Sepulturis. „

II. Regulares, etiam jurisdictione a R. P. accepta, valide confessiones saecularium audire nequeunt sine **approbatione** episcopi loci in quo eas audituri sunt. (n. 326) Jurisdictionis ab episcopo accepta illis quidem non est necessaria, sed dari potest; immo, in praxi hodierna, illis perinde ac presbyteris saecularibus, una cum approbatione dari solet. Hinc patet quare S. C. Ep. et Reg. 2 Martii 1866 (Act. S. S. t. 1. p. 683) responderit: "Religiosum non approbatum juxta leges proprii Ordinis a suo Superiore, vel ipso invito, cum sola *facultate* Ordinarii, valide excipere confessiones saecularium. „ Nam, licet ei in tali casu desit jurisdictionis Pontificia, habet tamen ea quae confessariis saecularibus dantur et sufficiunt. Attamen manifestum est, tunc eundem religiosum carere facultibus specialibus quae reliquis a S. Sede per Superiorem transmittuntur, ex. gr. ad absolvendum a casibus Pontificiis. Insuper sic absolvendo peccaret graviter vel leviter pro rata inobedientiae et prohibitionis. Cfr. n. 100. At si episcopus solam approbationem suam

Regulari concedere intendisset, invalidae forent confessiones quas iste audiret sine omni licentia tam expressa quam tacita sui legitimi Superioris, " quia nondum haberet jurisdictionem a R. P. quae requirit consensum legitimi Superioris, tamquam condicionem sine qua non. " (Struggl, tr. 11. q. 3. n. 30)

335. III. Injuste ageret episcopus qui, absque causa sufficiente, Regulares non approbaret vel ad examen admittere nollet: nam laederet jus quod hujusmodi sacerdotibus competit, cum per privilegia sua sint quasi parochi delegati a R. P. ad audiendas confessiones. Idem a fortiori ex eo patet quod etiam presbyter saecularis injuste repulsus ad metropolitanum appellare posset. (Lugo, disp. 21. n. 54) Nihilominus invalide audirentur confessiones a Regulari injuste reprobato; siquidem ipsi necessarium est ex Conc. Trid. jus quod nondum habebat, et per sententiam injustam minime acquisivit. Ideo damnata est ab Alex. VII prop. 13^a: " Satisfacit praecepto annuae confessionis qui confitetur Regulari episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato. "

IV. Clemens X (Const. *Superna*, 21 Jul. 1670) declarat: " Illos religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab episcopis generaliter quoque et indistincte, absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum aut generis personarum, in dioecesi propria admittendos. Quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare et admittere. " Quare probabilius jus est Regularibus petere ut ab episcopo satis amplum examen instituatur ut constet num hanc generalem idoneitatem habeant: secus enim, denegato examine episcopi possent hanc Clementis X dispositionem prorsus inanem facere. (Bouix, de Jure Reg. t. 2. p. 230) Nihilominus praxis, a Bened. XIV (de Syn. l. 9. c. 16. n. 7) laudata, prorsus diversa est. Nam passim omnibus Regularibus, nullo vel brevi examine praemisso, facultates tempore limitatae concedi solent. Summum ipsis conceditur jurisdictione usque ad revocationem, quae certe illimitata non est.

Si quas igitur limitationes approbationi adjicit episcopus, Regulares eas servare debent et invalide audiendas confessiones in casibus exceptis. Quasdam tamen limitationes licite adjicere nequit episcopus, scil. nequit excipere tempus paschale (Innoc. X, Const. *Exponi Nobis*, 7 Febr. 1645), neque confessiones infirmorum in eorum domibus audiendas. (S. C. Ep. et Reg. 13 Sept. 1641; Coll. Bizz. p. 27) Verum tenentur Regulares, qui infirmorum confessionem exceperint, illicio de illa certiore reddere parochum, saltem schedula apud ipsum infirmum

relicta. (Clem. X, Const. *Superna*) Atque universe illicitum est episcopo adjicere approbationi suae " limites inutiles aut etiam Regularium confessariorum Ordini injuriosos. " (Epist. Gregor. PP. XVI ad Ill. Affre, Arch. Paris, 12 Oct. 1843)

336. V. Non licet episcopo revocare facultates illius Regularis quem ipse examinavit et illimitate approbavit, nisi superveniat nova causa quae confessionem concernat, ex. gr. delictum quo, ob scandalum datum, jam non esset ille Regularis aptus confessionibus audiendis, concessa absolutio a casibus reservatis sine facultate, etc. Id patet ex cit. Const. Clem. X: " Regularis ad ejusmodi confessiones audiendas praevio examine simpliciter et absque ulla temporis praefixione ab ipsomet episcopo, secus autem ab ejus vicario aut ab antecessoribus episcopis approbatos, non posse ab eodem qui sic approbavit iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illas revocari, nisi nova superveniente causa, quae ipsas confessiones concernat. " Valida tamen foret revocatio.

Idem probabilius dicendum de eo qui, praevio examine, ad tempus determinatum approbatus est, nempe quamdiu durat praefixum tempus. Nam approbatio, praevio examine data, non est mera gratia, sed est gratia facta cum onere illius qui examen subiit, ac proinde injuste ageret episcopus qui illam tolleret sine causa proportionata, qualis, ex Bulla *Superna*, non est nisi quae ipsas confessiones concernat.

Si vero, absque determinatione temporis, ad beneplacitum vel usque ad revocationem concessa est approbatio, probabilius, etiam sine causa, revocari vel ad limitatum tempus reduci potest, ut responderunt S. C. Ep. et Reg. 12 Mart. 1619 et S. C. C. 17 Jan. 1654. (Piat. Man. J. Reg. II. p. 193) Attamen hoc ita intellegendum ut Regularis jam approbatus ad examen revocetur, non autem ut liceat eumdem, absque causa, simpliciter a confessionibus audiendis suspendere. Is enim qui simpliciter suspenderetur, necessario sinistris suspicionibus et oblocutionibus impeteretur, ac proinde ipsa lex famae alienae servandae obstat quominus episcopus Regularis absque justa causa hujusmodi diffamationi objiciat.

" Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus adimi ab episcopo, inconsulta Sede Apost. nullatenus posse, statuit Clemens X, cit. Const. *Superna*. Utrum talis revocatio foret invalida an illicita tantum, inter DD. controvertitur; praestat sane ut, injustae revocationi parentes, Regulares ad S. C. Ep. et Reg. recurrent. Illa tamen prohibitio non afficit episcopos Indiarum, seu in longinquis regionibus, ex. gr. in America, degentes, ut declarat Innoc. X, Const. *Cum sicut accepimus*. (28 Nov. 1732)

Punctum II. De absolutione domesticorum.

337. I. Regularibus non est necessaria approbatio episcopi ad absolventos suos vel aliorum Ordinum Regularium professos vel noviciorum : nam Trid. (Sess. 23. de ref. c. 15) nihil innovavit quoad confessiones Regularium. (n. 326) Sufficit igitur jurisdictionis Pontificia quam ipsis eorum Superiorum communicant. Quot confessarii a Superioribus Regularium sint constituendi, videsis apud Piat. (Prael. J. Reg. I. p. 402)

II. Ex privilegio quod Innocentius IV (Const. *Cum supernae*, 26 Apr. 1247) aliquie RR. PP. omnibus Religionibus concesserunt, Regulares ordinarie nec licite, nec valide confiterentur aliis sacerdotibus quam his **confessariis legitime constitutis**. Quidam tamen casus sunt excipiendi :

1º In itinere, si socium sui Ordinis *idoneum* non habent. At si talem secum habent, huic tantum confiteri possunt, nisi indulta Pontificia vel Ordinis constitutiones ampliorem facultatem concesserint. Neque opus est ut unus in alterum expressam jurisdictionem acceperit : nam dummodo socius idoneus sit, eam tacite accipit a constitutione qua socius socio confiteri jubetur.

Controvertitur autem num Regularis, socio idoneo destitutus, confiteri possit sacerdoti qui ab Ordinario non fuerit approbatus. Id multi hodie negant ob responsa Romana quae contraria videntur. Nempe jam 18 Nov. 1769 S. C. C. responderat Episcopo Hildesheim, invalidas fuisse confessiones a quibusdam Regularibus institutas apud simplices sacerdotes : quamquam ex actis S. C. constat Regulares, de quibus in casu, habuisse copiam confessarii ex Ordine suo, ideoque inefficax argumentum est. (Ball. P. n. 551) Sed clarius huic sententiae adhaesit S. C. Ep. et Reg. 3 Jun. 1864 (Coll. Bizz. p. 775 seqq.), dum respondit Regulari ex Ordine Eremitarum S. Augustini potuisse licite et valide, cum licentia sui Prioris, confiteri sacerdoti extraneo *dummodo is sit ex approbatis ab Ordinario*. Nihilominus censemus probabilem tutamque manere sententiam affirmantem, quam S. Alph. (n. 575) communissimam et veriorem appellat, dummodo non obstent peculiares Ordinis constitutiones vel Superioris mandatum. Nam cum haec responsa reapse extensa sint legis Tridentinae, non videntur universaliter obligare sine formalii promulgatione.

2º Ex licentia Superioris, sacerdoti cuilibet, etiam probabiliter (ut modo dictum est) ei qui ab Ordinario approbatus non est.

3º Ad lucrandum jubilaeum. Attamen, cum in quibusdam Ordinibus, ut in Soc. Jesu, generaliter nequeant Regulares, etiam vi jubilaei, absque

licentia Superiorum extra Ordinem confiteri, videndum est in singulis Bullis quibus jubilaeum indicitur, num clausulae derogatoriae his prohibitionibus praevaleant. Reapse ita contigit in recentissimis jubilaeis. In hoc casu non licebit confiteri nisi apud sacerdotem approbatum ab Ordinario loci, eo quod haec condicio in Bulla reperiri solet. Si tamen diceretur tantum *apud sacerdotem approbatum*, liceret quoque confiteri apud Regularem, a Superiori suo, non autem ab episcopo approbatum. (S. Poenit. 30 Jan. 1886)

4º Probabilius valida esset confessio de mere venialibus vel mortalibus jam remissis quae a Regulari fieret apud alium quam apud confessarium designatum a Superioribus suis. Eam validam esse et solis regulis adversari, Suarez (de Relig. tr. 8. l. 2. c. 16. n. 1) tamquam certum tradit. Nullum autem S. Sedis documentum supervenit quo certo constet jurisdictionem ad absolvendum a peccatis illis non conferri sacerdotibus omnibus in sua ordinatione. Ipsum decretum Innocentii XI (n. 329), ob quod multi Theologi hanc praxim prohibitam esse ducunt, nequit applicari Regularibus, siquidem in eo agitur de sacerdotibus non approbatis ab Ordinario, dum pro confessariis Regularium talis approbatio non requiritur. Quare, cum saltem probabile sit jurisdictionem hanc ad remittenda peccata venialia manere penes quolibet sacerdotes, practice confessio hujusmodi, supplete Ecclesia, valida foret. (n. 330, II) Eadem tamen involveret imperfectionem positivam, si regulae quibus confessarii designati adiri jubentur sunt tantum directivae ; quodsi regulae sub peccato obligant, non erit tamen peccatum hoc mortale, quia sacramentum est certo validum neque gravis inordinatio in eo appareat quod, ubi e mera devotione suscipitur, non adeatur confessarius a Superiori designatus. (Suar. l. c.)

338. III. Regulares non indigent approbatione episcopi ad absolventos **familiares suos**, ut patet e Const. Clement. X *Superna* : " Ceterum in monasteriis ac etiam collegiis, ubi juxta regularia vivitur instituta, posse tam praelatos regularium quam confessores regularium eorumdem monasteriorum seu collegiorum audire confessiones illorum saecularium, qui inibi sunt vere de familia et continui commensales, non autem illorum qui tantum ipsis deserviunt. " Illos tamen familiares nequaquam afficit prohibitio quominus apud alios confessarios ab Ordinario approbatos confiteantur.

QUAER. Quinam *familiares* Regularium censeantur.

RESP. 1º Censentur ii famuli qui continua ratione in monasterio versantur et Regularibus gratis vel pro salario inserviunt. Hi enim

habent omnes condicionea quae a Clem. X (l. c.) ponuntur et a Trid. (Sess. 24. c. 11. de ref.) exiguntur ut exemptionem participant, scil. ut "actu Regularibus serviant et inter eorum septa ac domos resideant subque eorum oboedientia vivant." Non veniunt hoc nomine ii saeculares qui, habitationem extra monasterium habentes, in isto tantum laborare solent, multo minus advenae in eodem infirmantes, ut patet e decisionibus S. C. C. quas videsis ap. Ferraris. (Bibl. can. v. *Approbatio*, n. 66-70)

2º Utrumque probabiliter controvertitur num idem dicendum sit de alumnis Regularium convictoribus.

Negant multi cum Lugo (Resp. Mor. l. 4. dub. 33) (1), Tamburini (De Sacr. l. 5. c. 5. § 2. n. 4) etc., quorum praecipua ratio est: non verificari in iis convictoribus condicionea a Trid. requisitas, siquidem non inserviunt Regularibus, sed potius ipsis inservit in spiritualibus et temporalibus. Affirmant alii, ut Bordonus (Res. 38. q. 5), Gury (II. n. 564), Lehmk. (II. n. 396, saltem ut probabile), Avanzini (Act. S. S. t. 3. p. 61), etc. Rationem valde verisimilem afferunt: hos convictores non minus arte cum Regularibus conjungi quam famulos inservientes. Quodsi verba Trid. minus commode iis applicantur, plene implent condicionea quae solae, tamquam aequivalentes, a Clem. X ponuntur: nam "sunt vere de familia et continui commensales." Id tamen non videtur extendendum ad domos quae non sunt vere regulares, sed Regularibus committuntur, puta Seminarium episcopale: haec enim non sunt, quod postulat idem Clem. X, collegia ubi juxta regularia instituta vivitur, sed potius domus saecularium, in quibus aliqui Regulares vivunt. Insper hoc privilegium concessum est pluribus Ordinibus et Congregationibus religiosis, ac proinde probabiliter ad reliquos per communicationem transiit (Gasp. de Euch. II. n. 1073); alii tamen communicari negant, quia laedit jus parochi et episcopi. (Piat. op. cit. t. II. p. 178)

Adverte hanc facultatem minime extendi ad discipulos Regularium externos, ac proinde si qua jura parochialia in eos exercent Regulares, id unice speciali S. Sedi vel episcoporum concessioni tribuendum esse. Videsis Stat. Syn. Mech. n. 154 et App. XXIII. Neque ad religiosas Congregationes pertinet potestas hic certo vel probabiliter asserta Regularibus: ad eas enim non pertingit communicatio privilegiorum nisi eam speciali concessione obtinuerint. Quandoque tamen hujusmodi privilegia a S. Sede directe obtinuerunt Congregationes religiosae, puta pro alumnis seminiorum sibi commissorum.

(1) Lugo tamen, censem convictoribus, qui in collegia vere regularia recipiuntur (ut solet fieri in Belgio), propter privilegiorum communicationem, dari posse extremam unctionem et forte Viaticum. (l. c. n. 7)

§ 7. DE JURISDICTIONE RESPECTU MONIALIUM.

339. I. In singulis monasteriis monialium unus constituendus est confessarius ordinarius. Hic speciali approbatione episcopi loci indiget ad earum confessiones audiendas, ut patet praesertim ex Const. Gregor. XV *Inscrutabili* (5 Febr. 1622). "Confessores, sive saeculares, sive regulares, quomodocumque exempti, tam ordinarii quam extraordinarii, ad confessiones monialium, etiam Regularibus subjectarum, audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi prius ab episcopo dioecesanoidonei judicentur et approbationem, quae gratis concedatur, obtineant." Nullus ergo confessarius valide monialium confessionem excipere potest, nisi vel speciatim pro istis, vel generatim pro omnibus ejusdem diocesis monialibus approbatus sit. Ita declaravit Clemens X (cit. Const. *Superna*): "Generaliter approbatos ab episcopo ad personarum saecularium confessiones audiendas, nequaquam censerit approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali episcopi approbatione. Atque approbatum pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii." Multa de ratione constituendi hos confessarios ordinarios decrevit S. Sedes et disputant Canonistae. Haec omittemus, tum quia ad forum externum pertinent, tum quia in regionibus nostris jam non reperiuntur moniales votorum sollempnium, ac proinde plura quae sancita sunt de monialibus jurisdictioni Regularium subjectis, hic a praxi aliena sunt. (n. 85)

Immo, spectatis tantum Apostolicis Constitutionibus, haec necessitas specialis approbationis ad excipiendas monialium confessiones non pertineret ad moniales Belgii, Galliae et (paucissimis exceptis) Stat. Fod. Amer. Etenim hae omnes, in sensu omnino stricto, monialium nomine non veniunt. Sed eadem leges, suadente S. Sede, ab episcopis applicari solent nostrarum regionum monialibus. (1) Quare invalidae erunt confessiones etiam monialium quae simplicia tantum vota edidere, nisi sacerdos speciale illam facultatem audiendi moniales obtinuerit quam episcopi, concedendo approbationem, excipere solent, ut diserte in pluribus statutis synodalibus declaratur. Valide tamen confessiones monialium paroeciam suam incolentium audit parochus: quippe qui ex munere suo approbatus sit ad excipiendas confessiones eorum omnium qui paroeciam incolunt, neque exemptione gaudent. Insper, ex declaratione S. C. Ep. et Reg. (2 Apr. 1872), Sorores Congregationum quae

(1) Videsis Stat. Syn. Mech. n. 280; Conc. Baltim. III. n. 96 seqq.